

*intelligendum aliud. Alius discursus est secundum causalitatem, sicut cum per principia pervenimus in cognitionem conclusionum: liquidum est, nos intelligere per scientiam Dei cognitionem intellectualem certam & evidentem non discursivam sed neq; sic æquivocationum finis. Etenim scientia modo dicto accepta & explicata rursus vel est habitualis vel actualis. Habitualis est qualitas quædam in intellectu relicta, quæ instar seminis potentiam intellectivam ad ejusdem speciei actus eliciendos faciliat, & sic ad facile fieri actuum concurrat. Quod si ex actibus præcedaneis genita est, ad similes inclinatur intellectum; si immediate infusa, rursus similes sibi producit. Actualis verò est ipsa actualis notitia certa, evidens, & non discursiva, sive spectetur ut principium habitualis effectivum, sive ut ab habituali principiatum.*

§. 9. Deo non competere habitualem scientiam nostram, in propatulo est, cum sit accidens quoddam ab intellectu tanquam actus à potentiâ sua receptum & sic realiter à subjecto differens, eique unitum realem importet compositionem. Sed tale quid de actualissimo & perfectissimo Deo affirmare non possumus citra blasphemiam crimen. Dices: depurandos etiam hinc terminos, & ponendam esse in Deo habitualem scientiam, non quidem formalem, qualem nos descripsimus, sed virtualem, cum Deus idem per suam simplicissimam essentiam præstare possit, quod intellectus creatus beneficio scientiæ habitualis, & sic æquipollet intellectus divinus intellectui creato habitu scientiæ instructo. Sicuti enim nunc concipimus Deum ut actum primum, nunc ut actum secundum, quamvis revera actus primus in Deo non sit, & propter nostrum intelligendi modum, nihilominus tamen solemus Deo actum primum & secundum tribuere, ita & in præsentia illud possumus salva orthodoxia facere. &c. Res ipsa salva est, & quo ad rem hæc objectio non contradicit sententiæ nostræ. concedimus enim utraque manu Deum id posse sine ullo superaddito, per simplicissimam suam Entitatem, quod creaturæ per varia superaddita præstant; neque aliud vi objectionis erit scientia habitualis virtualis in Deo, quam ipse intellectus divinus in quantum concipitur facillimè posse cognoscere evidenter & sine discursu objectum propositum. Lis ergo omnis in modum loquendi resolvitur, qui, ne quis ansam errandi arripiat, qui vim terminorum non penetrat, sine ullo veritatis dispendio omitti potest,

§. 10.